ECCLESIASTÆ
Cap. I.

1. *Sermones Cohéleth filii Davidis regis in Hieruſalem.*

2. Vanitas *vanitatum! (dixit Cohéleth) vanitas vanitatum, totum vanitas* eſt. A. thesis.

3. Quod *emolumentum* eſt *homini in omni labore ſuo, quem laboret ſub ſole?* B. demonstratio. 1. Quia labor ſine emolumento. ex 1. rerum tenore.

4. *Ætas abit, & ætas venit; & terra in ſeculum ſtat.*

5. *Et ortus fuerit Sol, & occiderit Sol, ad locum ſuum anhelat; ubi oritur.*

6. *Abit ad meridiem, & circuit ad Aquilonem; etiam atque etiam circuit, pergit ventus, & per circulos ſuos redit ventus.*

7. *Omnes amnes pergunt ad mare; & mare non repletur: ad locum, quò amnes eunt, eò iidem repetunt ire.*

8. Omnes *res* ſunt *cum defatigatione, non poteſt quiſquam ediſſerere. Non ſatiatur oculus videndo, neq; impletur auris, ne audiat.* 2. rerum difficultate & imperfectione.

9. *Quod extitit, idem* eſt, *quod exiſtet: & quod factum eſt, id* eſt, *quod fiet. neq; eſt ullum novum ſub ſole.*

10. *Eſt res, de qua* quis *dicat; Vide; hoc novum eſt? Jam extitit per ſecula, quæ fuerunt ante nos.*

11. *Non* eſt *memoria priſcis, atq; etiam poſterioribus, quæ exiſtent, non erit,* inquam, *ipſis memoria apud* eos, *qui erunt in poſterum.*